



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. LII. Proditores quomodo tolerandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

tro scripsit, Thracias rebellasse, veniret omnis omnibus, quas cum Athenienses interceptissent, arcana Macedonia accepisse rati & securitatem abducunt. Philippi duces transeunt, nullo obstante. Magna sane occasio hostis eludendi, si ficta imperia ad duces mittantur, quæ tamen cognoscere, & distinguere vera à fictis non erit difficile, adiecto aliquo signo inter eos solos noto. Refert Mendoza in obsidione duobus datam chartam plumbo inclusam, quod deglutierunt, chartam autem ita scriptam, ut ipsi ignorarent, nec tormentis affecti dicere possent, specie autem transfugarum ad hostem venerunt. Nec modo literas interceptiunt, ad socios mittunt, sed hostium quoque ad hostes dirigunt, effingendo sigillum & characteras, ut aliquo errore eos afficiant. Transfugis puniendis solent literas scribere, quæ interceptiantur, ut fidem abrogent apud hostes, & ut exploratores videantur. Conon relictus à locis transfugas misit, qui indicaret eos fugere, illi cum insidiantes præstent redierunt.

§. 8. Ad explorationem, omnis nunciorum literarumque ratio pertinet. Nunciorum emittendum & reddendum literarum varios modos excogitavit necessitas. Pontius Cominus per Tarpeiam rupem se demisit, & transnato Tyberi Veios peruenit, deinde incolumis capitolio se reddidit. Campanorum miles baltheo inclusam epistolam ad Pænos attulit. Et vaginarum interiori parti includunt. Cleonymus nullis per sagittas literis captivisque persuadet, se ad liberandam Rempublicam Troezeniorum venire, eaque ratione dissidentibus superuenit.

Cæsaris nuncius literas in castra iaculatus est, sed timendum ne non aduertatur, itaque melius per subornatos mittuntur, per eos, qui fecum stramen, poma, similiæque castris inferunt. Perignotos & viles facile deferuntur literæ. Ericus Sueciae Rex Angliæ reginam literis baculo inclusis ambijt, sed eas interceptit Dani præfectus. Harpagus lepori inferuit.

§. 9. Explorandi insignem rationem Scipio secutus est, nam cum Lælio ad Syphacem legato servorum loco lectissimos tribunos & centuriones misit, qui equum dimissum consecrati per castra, omnia munimenta viderunt, & Scipioni facilem victoriam pepererunt. Carthaginienses Hamilcarem ad Alexandrum exilis specie ire iusserunt, & eius ad se consiliari referre. Id quoque cum Romanis factum. Caro ex hostibus unum exceptum tortumque interrogavit de hostium consilijs; quod anceps est, cum pauci illa cognoscere soleant.

Verum hac in re summa opus est sagacitate, summaque prudentia, Paulus Æmylius cum magnam avium multitudinem simul à Sybea euolare vidisset, esse ibi insidias Hetruscorum non vane arbitratus est. Quo etiam signo Tyamenus Horestis filius iugum ab hostibus infestum esse cognovit. Mihi omnium expeditissime Carthaginienses ex longinquo significasse videntur; Nam signum dare poterant, ut quid deesset, Carthagine videretur. Duas clepsydras æquali magnitudine fecerant, circulos etiam æqualiter constituerant, illis vero inscripserant varia, quibus egeret aliquando poterant, verbi gratia, Machinis, auto, frumento, equite, pedite. Quod si igitur earum rerum aliquas peterent, cum ad circulum cui res illa inscripta erat, aqua descenderet, ignem excitabant, quo viso, inspectaque sua clepsydra subsidium mittebatur Carthagine. Hac in re duo diligenter observanda erant, primo ut clepsydram vertendarum diligens ratio haberetur, Alterum, ut ignis certo modo locoque fieret, ne si in vic-

no fortuitum aut hostile incendium esset, subsidia peti senatus putaret.

Cum per columbas literæ mittuntur, cavendum, ne in hostem incidat, quod Sultano contigit, Prolo-maidem obsidentibus Christianis. Cum ignibus signum datur, contrarij ignes excitandi sunt, ut dubitent hostes, quorum illi sint. Ita Platæenses, cum à Lacedæmonijs obsiderentur fecerunt. Mutandis signis maxime hostis fallitur. Arabes cum fumo interdum, noctu ignes adesse hostes significarent, id continuos dies fecerunt, sed cum hostis adesset, consulto signa omiserunt, quod illis signum erat, hostes latere se arbitrati omnia securius egerunt.

CAPUT LII.

Proditores quomodo tolerandi.

§. 1. Proditionem plerique amant, proditores oderunt.

Proditores eos appello, qui patriam, principem, exercitum, secreta, aliave hosti clam tradunt, aut in eorum perniciem, quibus fidelitatem debent, consilia cum hostibus communicant. Itaque qui portas aperiunt, qui aliquid hosti opportunum efficiunt, hoc nomine vocantur. Qui vero ab hoste veniunt, sese clam insinuant, & fraude utuntur, proditores non sunt. Imo in bello iusto stratagema est non proditio. Tales sunt qui rusticano habitu alijsque rebus occulte hostium loca subeunt, exploratores potius, quam proditores.

§. 2. Proditione simulata crebro utuntur, ut in exitum pertrahant eos, quos sollicitare norunt militum animos, itaque nec proditoribus quidem facile creditur. Alcibiades vius perfuga Syracusanis persuasit, ut vrbe exirent, quam mox ipse cepit. Catana habebat exercitum, asseuerat perfuga Catanaenses velle Græcos opprimere, & posse, si à Syracusanis subsidia habeant, illi uniuersis viribus Catanam eunt, Syracusas indefensas capit Alcibiades.

Nimium creduli Romani, qui cum ad Pisonem in turri obsessum liberandum irent, audita ex perfuga fama, quam callide Mago sparserat, Pisonem captum territi abscesserunt.

Guido Forciulij obsessus effecit, ut ciues nonnulli simulata proditione hostium quosdam inducerent, in urbem ipse alia porta egressus, eos qui foris erant imparatos cecidit, deinde rediens eos qui per urbem palabundi intenti prædis erant occidit aut cepit.

§. 3. Fredericus Aragoniæ Rex, cum nesciret, quo loco Robertus Neapolitanus Sicilia inuasurus esset, ciuibz quibusdam Drepanitanis imperauit, ut illi persuaderent, Drepanum obsideret, in quod forte ipse præsidium imposuit, & totam æstatem ibi hærere cœgit, atque etiam aduentante hyeme pacem facere.

Mentor Hermij victi sigillo literas mittens ciuitates multas occupauit. Fredericus comes ferrati Varrucalensi præfecto literas Sigismundi manum imitatus misit; quæsiuitque an præsidio egeret, quo annuente, suum misit.

§. 4. Variâ ratione curandum est, ut fides transfugis abrogetur; nam & transfugia inhiat, & hostis tua consilia ignorabit, & proditores puniet. Hannibal fidem transfugis detraxit: cum enim sciret in castris exploratores esse Romanorum, suos milites, qui transfugerant ad Romanos publice negauit transfugas vocandos, qui solertissimi milites hostium

Proditor est
amicus est.

In insidiis
deducere.

hostium consilia excipere ut su o iussu. Creditum est Hannibali, & veritatis ueritate pro exploratoribus habiti abscessis manibus remissum sunt. Nec modo hoste, sed proprium etiam militem celare & decipere boni Imperatoris est. M. Licinius Cassius querenti, quo tempore esset castra moturus, respondit: Veretis ne tubam non exaudias? Pari consilio Furius in locum iniquum coniectus spem vultu simulat, & agmen circumduxit, insciosque periculo exemit. Cl. Nero- nis audax & tum quoque anceps facinus, qui Han- nibalem tam diu celauit, donec a Sdrubalem occidisset. Mithridates Pompeium praeter eius castra va- dens latuit. Hamilcar cum Siciliam peteret, tabellas dedit, non legendas nisi a praetoria aberrarent.

Proditor tantum oc- cultandis consiliis fa- retur.

Proditor utendum.

§. 5. Interim proditoribus quoque uti ad celan- da Consilia, atque in suum usum conuertere induitij est ducis. Ventidius, inquit Frontinus libr. 1. c. 1. Parthi- co bello aduersus Pacorum Regem, non ignarus Pharnum quendam, natione Cyresten, ex his, qui socii videbantur, omnia quae apud ipsos agebantur, nunciare Parthi; perfidiam Barbari ad utilitates suas conuertit. Nam quae maxime fieri cupiebant, ea vereri se ne acciderent: quae timebat, ea, ut eue- nirent optare se simulabat. Solicitus itaque ne Parthi ante transirent Euphratem, quam sibi superuenirent legiones, quas in Capadocia trans Taurum habebat studiose cum pro- ditore egit, ut solenni perfidia Parthi suaderet, per Zeugma traicerent exercitum, quae & breuissimum iter est, & omisso alueo Euphrates decurrit. Namque si illac venirent, asseue- rabat se opportunitate collum vsurum ad eludendos sagitta- rios. Omnia autem vereri, si patientes campos processissent. Inducti hac affirmatione Barbari inferiore itinere per circui- tum adduxerunt exercitum: dumque suscitantes ripas, & ob hoc operosiores pontes iungunt, instrumenta quoque moluntur, quadra- ginta amplius dies impenderunt: quo spacio Ventidius ad con- trahendas est vsus copias: eisque eriduo antequam Parthi adueniret receptis, acie commissa, vicit Parthos, & inter- fecit.

Nunquam deest illa occasio, maxime cum inter vicinos bella sunt, itaque aliud atque aliud institue- re, ut hostes fallat, debet imperator, nec dubium, quin relaturi sint, qui praemium ex diuerso petunt. Pru- dens etiam T. Didij factum, is paucitati suorum diffidens, cum in aduentum earum legionum, quas expectabat, trabe- ret bellum, & occurrere eis hostem reperisset, concinne aduoca- ta aptari iussit milites ad pugnam, ac de industria negligenti- us custodiendi captiuos: ex quibus pauci, qui profugere, nuncia- uerunt suis pugnam imminere. At illi suspitione praeterea de- ducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus infidabatur: legiones tutissime, nullo excipiente ad Didium peruenierunt. Front. libr. 1. cap. 8.

CAPVT LIII.

Stipendia moderata & certa con- stituenda.

Sine stipen- dio militum. §. 1. R Omani trecentos prope annos stipendium militi suo non dederunt, diuites enim in praelio mittebant, qui suo sumptu militiam tolerabant. Nec mirum ita fuisse, nam Reges eorum cum domi essent, varijs operibus eos mancipiorum instar attri- uere, ut in cloacis, vijs, muris, fanis extruendis, adeo ut multi sponte mortem obirent. Optabile erat tam misere viuentibus bello oppetere, & pulchram per vulnera mortem adipisci.

Iustus Lipsius libr. 5. de militia Romana, aliquid tributum militi etiam ante arbitrat. Probat ex Dionysio. 5. & Liuius 1. 9. Sed publicum id fuisse putat in bellis sumptus. Addo interdum pro praemio mili- tum haec exigere, vel in necessitate a ciuibz conferri solere.

§. 2. Pestea cum nimium grauis esset militia, si de

suo quisque militaret, bello Veienti stipendia con- stituta sunt, quae & *stipendia* vocantur, quod pro obsequio emendo darentur. Polybius stipendium pedites duos obolo- los accipiunt singulis diebus, duos ordines duplum, equi- tes drachmam. Ex calculo Iusti Lipsij erant in mensem deni denarii, hoc est, Philippaeus. Paruum nunc sti- pendium, eo tempore magnum, & quia nonum, et- iam valde gratum in vulgus, ideo etiam diu mansit. Quod si rerum vilitatem spectemus, precium illud haud exiguum fuisse inueniemus.

§. 3. Tale fere stipendium apud Graecos erat. La- cedemonij Daricum militi, duplum centurioni, qua- druplum ductori *εκατονταρχος* promittunt. Xenoph. 1. 7. *ἐν βασιλειᾷ*. Athenienses in diem soluebant, drach- ma, quod largius erat, nam Daricus est viginti drach- marum.

§. 4. Omnino agendum, ut quemadmodum olim frumentum, ita nunc panis detur. Olim sane probro- sum erat frumentum vendere, panem emere, At nunc cum nec frumentum detur, nec panis, pecunia facile absumitur, tum ad rapinas vertuntur.

Militi Romano dabatur modij quaterni in men- sem, seruiorum hoc demensum erat, qui tamen ali- quando & quinq; modios acceperunt. Senec. Ep. 71. Equitibus triplum dabatur, hoc est, duodecim modi- dij, ut seruos duos alere possent. Equites sociorum modios octo, quia teruis paucioribus erant con- tenti, accipiebant.

§. 5. Interim aurea consuetudo fuit, ad signa pec- uniam deponere, ne facile absumerent eas milites, atq; ut signa non facile desererent, de qua Veg. 1. 2. c. 20. Illud vero ab antiquis diuinitus institutum est, ut ex dona- tiuo quod milites consequuntur dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruaretur, ne per luxum aut inanum rerum comparationem a contubernaliis possit absumi. Plerique enim homines, & praecipue pauperes tantum erogant quantum habere potuerint. Sepositio autem ista pecu- nia primum ipsis contubernaliis docetur accommoda: (nam cum publica sustententur annona ex omnibus donatiuis augetur eorum pro medietate castrense peculium) Miles deinde qui sui sumptus apud signa depositos, de deferendo nihil cogitat, magis diligit signa: pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenii, ut pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Deniq; decem folles, hoc est, decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus hac ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vnde- cim, in quem tota legio aliquam particulam conferebat, se- pulchra scilicet causa, ut si quis ex contubernaliis defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulchrum ipsius promeretur ex- pensae. Hac ratio apud signiferos (ut nunc dicunt) in cophino seruabatur. Et ideo signiferi non solum fideles, sed etiam lire- rati homines deligebantur, qui & seruare deposita, & scirent singulis reddere rationem. Ingens saepe ad signa pecunia. Suet. in Domit. Geminari legionum castra prohibuit, nec plus mille nummos a quoquam ad signa depo- ni, quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res nouas moliens, fiduciam cepisse ex deposito- rum summa videretur.

§. 6. Praeter ista dabant legumina, pila, lentem, fa- lem. Plutarchus in Crasso, mali ominis rem putat, initio cum necessaria emerentur, datam lentem & falem, quod ista funebria haberentur. Caro Impera- toris, inquit Synesius *τὸ δέσπον ἢ, πρίσσι, ὃν ἐὼλον ἔπνοι, δὲ ἐν τῷ ἐμὲν χιᾶ ἀττα παρὶν κρεὼν δέον*. Cena erat & pilis pridianum pulmentum, & in ipsa frusta ali- quot sanctae suillae carnis. Spartianus inter cibos ca- strensium recenset, Latidum, caseum, poscam.

Coctam carnem vendere Metellus vetuit, ipsi assa- bant aut elixabant. Hinc milium veru, & olla in su- pe lle stile. Panem milites ipsi coquebant, inuili labore, cum facile a pistoiibus coquantur pro ingenti mul- titudine.

§. 7.

Prima sti- pendia ob- sonia.

Daricus Graecorum stipendium.

Cibus dan- dus non tan- ta pecunia.

Demensum militum.

Pecunia ad signa depo- nebant.

Potenti- commu-

Legumina data.

Porca sti- pendi.